

Paul Tarnow

**Pauli Tarnovii, D. & S. S. theologiae professoris De Novo Evangelio, quod sit  
caussa omnium calamitatum, universum Christianorum orbem inundantium &  
submergentium, Dissertatio : Habita in academia Rostochiensi M D CXXIV. IX.  
Kal. Maii ...**

Rostochi[i]: Pedanus, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737675381>

Druck Freier  Zugang



P. Jarnovius.  
R. U. theol. 1624.





PAULI TARNOVII.

D. & S. S. theologiae professoris,

DE NOVO  
EVANGELIO,

quod sit causa omnium calamita-  
tam, univesum Christianorum orbem  
inundantium & submergen-  
tium,

DISSERTATIO: Critica.

Habita in academia Rostochiensi

die 15 CXXIV. IX.

Kal. Maij.

ועתה נאמר  
עמי מאשרך מינים ותרך ארחותך בלעוו

ש(0)ש

ROSTOCHI

Excudebat JOACHIMUS PEDANUS,

Acad. Typog.



Ex  
Bibliotheca  
Academica  
Rostockensis



NOBILISSIMO ET AMPLIS-  
SIMO UIRO,

DN. HENRICO  
SPERLINGIO,

Domino hæreditario in Overhoff/ fautori  
& amico meo veteri ac plurimum  
honorando.

**D**issertationum philosophicarum  
quæ maximè salutares attento  
auditori videri soleant, & quo  
iudicio ab alijs dignosci possint,  
eleganter sub persona Musonij explicat A.  
Gellius, noctium Atticarum lib. 5. cap. 7.  
his verbis: *Musonium philosophum solitum dice-  
re accepimus: quum philosophus, inquit, hortatur,  
monet, suadet, objurgat, aliudve quid disciplina-  
rum disserit, tum, qui audiunt, si de summo & so-  
luto pectore obvias vulgatasq; laudes effutiant, si  
clamitant etiam, si vocum eius festiuitatibus, si mo-  
dulis verborum, si quibusdam quasi frequentamen-  
tis orationis moventur, exagitantur, & gestiunt;*  
A 3 tum

num scias, & qui dicit, & qui audit, frustra est. :  
neq; illic philosophum loqui, sed tibicinem canere. :  
animus is, inquit, audientis philosophum; si, quæ di-  
cuntur, utilia ac salubria sunt, & errorum atq; vi-  
tiorum medicinas ferunt, laxamentum atq; otium  
prolixè profusèq; laudandi non habet: quisquis ille  
est qui audit, nisi ille est planè deperditus, inter  
ipsam philosophi orationem. & perhorrescat necessè  
est, & pudeat tacitus, & pœniteat, & gaudeat, &  
admiretur: varios ad eò vultus. disparilesq; sensus  
gerat: proinde ut eum conscientiamq; ejus affecerit  
utrarumq; animi partium aut sincerarum aut agra-  
rum philosophi pertrectatio. Præterea dicebat ma-  
gnam laudem non abesse ab admiratione: admira-  
tionem autem, quæ maxima est, non parere verba,  
sed silentium: idcirco, inquit; poetarum sapientissi-  
mus auditores illos Ulyssis labores suos illustrissimè  
narrantis, ubi loquendi finis factus, non exsultare,  
nec strepere, nec vociferari facit: sed consiluisse uni-  
versos dicit, quasi attonitos, obstipidos de lenimentis  
aurium ad origines usque vocis permanantibus.  
Hæc ille: ego, qui me nec philosophum,  
nec theologum jactito, sed inter utriusque  
studij, quod in divina humanaq; sapientia  
comparanda propagandaq; ponitur, aman-  
tes & studiosos cultores nomen meum  
pro-

profiteri non vereor, cum nuper hanc dissertationem in amplissima Virorum CL. & copiosissima juvenum, ex omnibus ordinibus congregatorum, frequentia haberem, non modò silentio attento benevolè auditum, sed illo ipso, & in sequenti statim die à diversis officiosè compellatum me recordor, ut, quam auribus multorum insonuissem, eam oculis longè plurium, & luci publicæ operâ typographi exponendam curarem horum postulato cum mihi obsequi placebat, ipsorum nomine, qui aut sibi aut etiam alijs meam commentatiunculam non infructuosam judicabant, tum mea ipsius causa iisdem refragari religio erat: ne, si premerem & occultarem, quæ exire & in apertum proferri postulata fuit, pœnitere me cæpti mei tacitè subindicarem. Tibi autem, Vir nobilissime & amplissime, eam inscribere visum fuit, in testimonium inter nos notitiæ, & animorum ex ea, jam ante quadraginta quatuor annos, ortæ conjunctionis ac benevolentiae mutuae, in

A 3,

hunc:



hunc usque diem sincerè cultæ, & constanter conservatæ. Quod superest, Deum precor, ut migrationem in istam oram fortunet, commorationem in ea tuam tuorumque omni benedictionum genere cumulet atque amplificet. Bene & feliciter vale in Christo, omnis felicitatis nostræ, temporariæ & æternæ, auctore unico. Rostochij. 6<sup>to</sup> 10 CXXIV. eidib. Maij.


*Tuæ nobilitatis & amplitudinis*

*observantissimus*

*PAULUS TARNOVIUS.*



*Qui*



Uli verba facere volunt ad con-  
cionem quamcumq<sup>3</sup>, id unum  
in votis habent, ut auditoribus  
benevolis, attentis, & ad per-  
cipiendum, quæ dicuntur, ijs-  
que, si ita res proposita exigat,  
obsequendum paratis utantur.

Hunc enim scopum ipsius natura ductus ostendit, &  
omnes artifices, qui ex diligenti consideratione  
exemplorum sua præcepta secundum illum conform-  
marunt, dicenti omnes ingenij nervos huc in princi-  
pio convertendos & dirigendos esse uno ore clamant,  
si quo potiri desiderat, id feliciter consequi laborat.  
hinc fit, ut sæpè nova & inaudita, sæpius magni mo-  
menti & non vulgaris usus, sæpius scitu necessa-  
ria à se prolatum iri polliceantur. nimirum norunt  
prudentes illi & indolis humana peritissimi homi-  
nes, quales omnes prudentes oratores esse oportet, in-  
genium humanum esse vetustatis nota tædiosum, no-  
vitatibus ignota avidum, quale orator ecclesiasticus,  
apostolus Paulus, interprete Luca, politicus Cleon,  
teste Thucydide, in Atheniensibus spectandum no-  
bis proposuerunt, qui δειοὶ ὄντες τῶν ἀπὸ ἀνάγκης

ἐστίν

ἐξ τῆς δὲ τῆς ἐπιτομῆς, huic uni cura vacabant solum-  
modo, ut novi aliquid vel ipsi dicerent, vel ex alijs  
audirent. *Mibi* sanè, cui hoc tempore dicendi par-  
tes non mea voluntas & arbitrium delegit, sed ne-  
cessitas, ex consuetudine perpetua, quæ legis vim ha-  
bet, detulit, vellem tam in manu esset, quàm in vo-  
to, ea afferre, quæ omnibus sint jucunda, nemini mo-  
lesta, singulis utilia, universis proficua. sed cum in-  
genio, quod mihi per exiguum contigit, parum pos-  
sim, ab exercitatione & usu dicendi per alia, quæ  
mei muneri sunt propria, penè in totum excludar,  
dabitis mihi *ALLD.* hanc veniam, ut, si digna hoc  
loco & tempore non afferam, alijs tamen & ingenij  
ubertate præstantibus, & in dicendi scribendiq; stu-  
dio plurimum versatis, ac omnibus reliquis ad hanc  
gravem in medium consulendi provinciam instru-  
ctissimis occasionem meo conatu subministrem, ut,  
quod ipse molior, nec perficere valeo, ipsi non minus  
libenter suscipiant, quam feliciter expediant. Cona-  
tor enim disquirere de causa omnium prima & præ-  
cipua tantarum calamitatum, quibus inundat & tan-  
tum non mergitur orbis Christianus, & in eo cum  
hæc, tum omnes aliæ scholæ regie, quas academias  
vocamus, peritura videntur. qua sublata, speran-  
dum omnium censuerim ordinum novam, eamq;  
letam, quæ nunc tristissima est, faciem, imò id ipsum  
planè

planè mihi persuasum habeo, non permotus ullis po-  
liticorum & pragmaticorum conjecturis, quæ sæpè  
fallunt, sed certissimis Dei oraculis. illam si dixerò  
esse opinionem quandam & persuasionem exitia-  
lem, quæ primum mundum perdidit, quæ Judeo-  
rum vulgus in V. T. pessumdedit, quæ Christiano-  
rum in N. T. cæcus augendo vastat, quæ veram ec-  
clesiam & pias scholas destruit, respublicas bene  
constitutas corrumpit & evertit; omnes, ut spero,  
intelligent, me animo agitare rem scitu necessariam,  
& usu admodum fructuosam, quam omnes sua &  
salutis publicæ amantes non minus cognoscere, quam  
cognitam amplecti volent & debebunt. Vos, qui  
corporibus adestis, mentibus benevolis & attentis,  
ut meum, unice directum ad publicam horum tem-  
porum & morum emendationem, conatum proveha-  
tis, omnes & singulos, quo par est, studio rogatos  
volo. Causas mutationum omnis boni in rebus publi-  
cis, si ve literarijs, si ve civilibus, alij manifestas &  
evidentes statuunt ijs, quibus oculi luce veritatis ce-  
lestis sunt illustrati, in hominibus originalem mali-  
tiam & perversitatem congenitam, ejusq; fetus &  
fructus, nec numero paucos, & faditate sua abomi-  
nabiles & perniciosos. illa enim à primo eo motu,  
quo concipit & fingit nonnihil cor nostrum, id unum  
in nobis efficit, ut simus tantummodo proni ad ma-

B

lum

lam quod vis, ab omni autem bono planè à versi. ea  
itaq; scaturigine perpetuò instar fædæ cloacæ teterri-  
mum & virulentum fatorem exhalante in cogita-  
tis, dictis, & factis, ejusq; exitiali exhalatione  
Deum opt. max. fontem omnis boni, imò ipsam boni-  
tatem, tanquam malo sibi è diametro, quod ajunt,  
adverso, vehementissimè commoveri, maximè si  
liberè effundere suum virus illa scaturigo permitta-  
tur, una & constans. est omnium theologorum ve-  
ritati orthodoxæ astipulantium sententia. quam op-  
pugnare aut convellere tantum abest, ut mihi un-  
quam in mentem venerit, ut pro ea omnibus mentis  
& animi viribus pugnare perpetuò constitutum, ju-  
vante me, quæ eam dedit, habeam: tantum dico,  
idq; omnium vestrum, ut confido, pace, eam liberè  
& sine freno ullo indulgendi omnibus congenitis de-  
siderijs pravis libidinem in cordibus hominum re-  
gnare non posse, nisi aliud quid sit, quod omnes ei  
habenas laxet, imo totum capistrum removeat in  
ecclesia natis & renatis hominibus: de quo inqui-  
rendo hoc tempore unice sumus solliciti. alij ad abdi-  
tas & occultas in rebus humanis, earumq; instabili-  
tate positas causas confugiunt, qui experientia &  
usu rerum se edoctos deprehendisse putant, nullius  
imperij, regni, ducatus, reipublicæ, quantumlibet  
florantis & potentis, statum, ultra quingentos an-  
nos,

nos, durare, sæpè dimidium horum vix attingere. & hujus autem instabilitatis, & periodi illius metamorphosarum causas collocant, in conversione orbium celestium, & præcipuarum in eis stellarum: quos suis inventis gaudere ut ut permittere necesse habemus, nos tamen, quia, illis concessis, causa prima mutationis & interitus rerumpub. in Deum, cali, astrorum, & motuum celestium auctorem redundatura apparet, ipsis assentiri non possumus: qui Deum omnino boni in natura, in ecclesia, & in rebus publicis causam agnoscimus, mali & destructionis ullius auctorem per se esse diffitemur. alia aliorum inventa mittimus, qui nobis nequaquam proposuimus in unum & generatim commemorare, quid alijs visum fuerit de causis conservantibus, augmentantibus, & ad summum provehentibus, aut de corruptentibus, minuentibus, & evertentibus reipublicas. politicorum ea dissertatio est, quam ipsis ut propriam, ita illibatam lubentes relinquimus: nos tantum in id inquirere satagimus, quidnam sit, quod orbem Christianum hodie ita concutiat, ut tantum non tremere, & è basi sua, in qua hætenus Dei benignitate firmus constitit, emotus aliò transferendus, vel etiam planè evertendus videatur. hinc si numen illud supremum, quod Jehovam & Deum appellamus, Dominum & arbitrum omnium, à quo uti

pax, ita bellum est, & sine cuius nutu neq; bonum,  
neq; malum est, vel in civitate aliqua, vel in re-  
gione tota, causam primam dixerimus, nihil à vero  
alienum dicemus, sed id, de quo queritur, non attin-  
gemus. universa enim hac questio in eo vertitur,  
quidnam sit, quod habenas laxet impietati & inju-  
stitiæ, ut ita sine fronte & pudore in omne genus vi-  
tiorum & flagitiorum, populus ille Dei, qui Chri-  
stianus à redemptore & salvatore suo, Domino no-  
stro Jesu Christo denominari gaudet, pronus & præ-  
ceps ruat, elataq; velut in calum manu Deum ad  
iram & omnis generis calamitates eidem immit-  
tendas provocet: non autem, que sint peccata &  
transgressiones, quibus offenditur pater ille celestis,  
& ad indignationem contra dilectos & electos suos  
filios, cæcum illum congregationis & communionis  
sanctorum peculiarem, irritatur & provocatur.  
causam illam, si græcorum, quibus dedit ore rotun-  
do Musa loqui, more efferre vellemus, uno verbo  
diceremus esse νεοευαγγελιον, si latinorum, novum e-  
vangelium: hoc quid sit mali, in quo est ἰδὲ ἀσχηκῶν,  
& totius fundi Christiani calamitas, prius expli-  
candum videtur, quàm ad probandum accin-  
gamur, & ostendamus ipsum esse ἀρχηγῶν, sive  
fontem & scaturiginem omnis perturbationis,  
quod instar Pandora illius Hesiodeæ in pyxide inclu-  
sum secum fert, quicquid ubiq; dispergitur per or-  
bem.

hem Christianam mali & arumnarum. *Vox*  
natura est, quam dialectici in artem suam transtu-  
lerunt, contraria juxta se posita magis elucescere.  
cujus dictamini saepe rhetores non inutiliter obse-  
quuntur, & dum virtutis, quam suadent, decus se  
non satis exprimere posse desperant, vitij eidem con-  
trarij de decus, quod magis in oculos incurrit, depin-  
gendum sibi sumunt. utamur simili ratione in praesentia, & ut tenebris lucem conciliemus, ex veritate antiqui falsitatem novi evangelij delineabimus.  
Vetus evangelium, ut constat omnibus rudimento-  
rum doctrina Christiana gnaris, est doctrina de  
misericordia Dei patris, remissione peccatorum &  
salute aeterna, per fidem in Christum: novum ve-  
ro, (quod tamen neq; bodie, neq; nuper natum, sed  
post antiquum statim invasit ecclesiam, eamq; ut  
cancer longè latèq; serpens depascit & devastat.)  
est dogma de misericordia Dei patris, remissione  
peccatorum, & salute aeterna, per externum Dei  
cultum consequenda. Brevis & obscurior hac  
definitio ne videatur cuiquam, & idcirco tanta rei,  
quam explicare conamur, minus conveniens, pro-  
lixior, eamq; dilucidior, utriusq; exponemus:  
quae sit ejusmodi: Evangelion vetus & verum  
est promissio de Christo, seu doctrina non naturâ no-  
ta, sed ex arcano consilio divinitatis per Filiam pro-  
lata, in qua Deus immensa misericordia propter  
B 3 Christi



Christum filium suum gratis, promittit remissionem  
peccatorum, justitiam, Spiritum S. & vitam eter-  
nam omnibus agentibus pœnitentiam, & fide hæc  
promissa bona amplectentibus. Evangelium no-  
vum & falsum est persuasio inanis de Christo, seu  
opinio de gratia & misericordia Dei, non ex verbo  
Dei nota, sed ex arcano consilio principis tenebra-  
rum, per ejus administrum serpentem, in fraudem  
felicitationis primorum hominum, obscurius prolata,  
& post in perniciem posterorum dilucidius exposita  
& propagata, credulitateq; singulorum carnali se-  
curitate laborantium conseruata, in qua ipse promit-  
tit immunitatem culparum, & pœnarum salutemq;  
aternam omnibus externum Dei cultum præstanti-  
bus, & verum Christianismum ore profitentibus,  
corde abnegantibus, & inani ista persuasione bona  
solis verè constanterq; fidelibus promissa etiam ad se  
pœnitentiam internam non agentes, sed externam  
& simulatam ostendentes, pertinere statuentibus.  
Possem hæc minutatim explicare, & per singula  
eundo illustrare: sed in re, ut spero, non planè obscu-  
ra, ultra quam fas est, declarando moram facere  
& tediosum est audientibus, & odium parit dicenti-  
bus. itaq; ad id, quod nobis præcipue propositum est,  
probandum & demonstrandum pergemus. Prin-  
cipio id esse in confesso apud omnes religionis Chri-  
stianæ non planè ignaros minime dubitari potest, in  
eo esse

eo esse causam omnium pœnarum, in quo est causa  
omnium culparum. quicquid enim est causa causæ,  
ut indicat natura lumen, & confirmant sapientes,  
id etiam est causa causati. Jam verò omnia  
facilitatis ad culpas quas vis admittendas, & securi-  
tatis, de venia commissarum impetranda, causa est  
Christianis communi nomine ita dictis, in persuasio-  
ne illa inani & planè falsa, qua pleriq; statuunt,  
Deum non esse tam acrem judicem, nec tam severe  
vindicem omnium contra legis præscriptum  
è corde pravo ebullientium cogitationum, in sermone  
erumpentium verborum, & deniq; in opere se  
ostendentium factorum: omnibusq; illis, quæ ita  
sine ullo pudore & absq; ulla numinis reverentia  
perpetrantur, unicum & efficacissimum esse reme-  
dium in eo repositum somniant, si se fideles, Dei que  
filios, hæredes ipsius, & cohæredes Christi credant,  
modò illam suam fidem, si ve persuasionem inanem  
audiendis concionibus, celebrandis cum catu &  
congregatione ecclesiæ visibilis precibus, hymnis con-  
cinendis, confessione peccatorum coram ministro  
verbi edenda, cœnam Dominicam participando de-  
clarent. de cuius assertionis meæ veritate quisquis  
dubitatur, si persuasione ista, quam perstringo, inbu-  
tus est, in seipsum descendere, seq; primum excutere,  
deinde ad contemplandos omnes, quot quot sunt in  
orb.

Urbe, Christianos progredi, & explorare velim, an-  
non, quod dixi, in se certum deprehendat, & in alijs  
idem minimè incertum esse experiatur, nempe, dato  
& posito eo, quod sibi vulgus Christianorum instin-  
ctus Satanae comminiscitur, e vangelio, dari & poni  
effrenem illam quo vis peccatorum genere se conta-  
minandi licentiã, eoque sublato & remoto, eandem  
cohiberi, imò tolli & removeri: ut meritò, quemad-  
modum omnis vera sapientia initium est timor Do-  
mini, ita initium omnis insipientia, quo nomine  
scriptura impietatem & iniustitiam universam  
complectitur, sit carnalis illa, opinionis istius false  
proles, securitas: id quod exemplis nonnullis illu-  
strare & ostendere conabimur. Sint duo pluresve  
eorundem parentum filij: unus bonae indolis, alter  
prava: faciat uterq; officium ex aequo, dum etas me-  
tus, magister prohibent: post, ubi liberior datur vi-  
vendi potestas, alterum in officio contineat amor fi-  
lialis, alterum nonnihil coerceat metus exhereditatio-  
nis. utriq; si tanquam custos adjungatur servus,  
idemq; magister improbus, is aegrotum illum ani-  
mum ad deteriores partem facile applicabit, nec  
difficiliter sanum de integritate mentis deturbabit,  
si illi bonam mentem insidiosè subducere, & hujus ad  
malitiam proclive ingenium impellere cœperit, u-  
triq; voluptatum illecebras & delicias sua visibiles  
propo-

proposuerit, & impunitatem omnium flagitiorum  
ex facilitate paterna & jure filiali promiserit. qui-  
bus tam gratis primo gustatu poculis delinitus, ut quo  
semel est imbuta recens servabit odorem testa diu,  
sic illius animus ubi semel se cupiditatibus diuinxit  
malis, nec est qui constrictum & captivum moni-  
tis melioribus de vera liberorum libertate in pristi-  
num statum vindicet, ibi necesse est consilia conse-  
qui consimilia—. Ridebit hac fortè non nemo, qui  
me tam levia & nugis puerilibus similia in tam  
grave theatrum producere mirabitur. cui non in-  
convenienter cum Venusino poëta respondero:  
Quid rides? mutato nomine de te, fabula narratur.  
non enim in domibus tantum aut ludis inter pueros,  
sed etiam in scholis regijs, quas academias nomina-  
mus, inter juvenes, imo in ecclesia & communione  
sanctorum, inter viros & senes huic scenæ exstruen-  
da amplissimus conceditur locus. nam cum primum  
emissa è claustris disciplina puerilis inferiorum scho-  
larum iuventus ad superiores transcendit, ibi non  
modò palam fit, quo quisq; sit genio & ingenio na-  
tus, sed qui malo, indies fit pejor, qui bono, raro e-  
vadit melior. cuius miseriæ & infelicitatis causa  
prima quidem est in cuiusq; indole: hac tamen non  
ita se proderet, nisi per novum evangelium, quod  
passim auditur, proxima accederet, quæ austerita-  
tatis

C

tatis

tatem omnem superioris temporis & loci non am-  
plius necessariam, & licentiam audaciamq; eorum,  
qua libent, omnium, neq; indecoram esse, & im-  
punē fore clamaret: & hac tam indigna nomine  
Christiano, tam exitiosa omnibus ordinibus publica  
disciplina foverentur qua ita collapsa est in omni  
statu, tam ecclesiastico, quàm politico & œconomico,  
ut pio intelligenti saepe hanc corruptelam morum &  
temporum intuenti in mentem venire necesse sit il-  
lud Propheta: Popule mi, qui te ducunt, seducunt.  
vide enim quid agatur: postquam per omne genus  
fraudum & flagitiorum liberè decursum est, &  
ut sues lota ad cœni volutabrum, & canes ad vomitum  
solent, subinde recursum, si unam doloris sui in-  
dicem valde fallacem, falsam lacrymulam, quam  
miserè oculos terendo vix vix exprimere queunt, pro-  
truserint, veniam delictorum flagitaverint, tum se  
in cœlo esse sibi persuasum habent, ejusq; suæ opinio-  
nis pignus cœnam Dominicam sibi porrigi postulant,  
& quantum vis canes & porci, impetrant. quis  
verò magnatum & dynastarum terrestrium in-  
suam aulam, & ad mensam admitteret omnibus  
flagitijs ex mera petulantia insignes? nec ad melio-  
rem frugem re versos? quis bonus paterfamilias in  
adibus suis & convictu tam sui dissimile toleret;  
famulitium? & nos aded erimus mentis inopes, ut,  
sola

sola credulitate stulta, imo temeritate mera, nobis  
persuasum habeamus, quod terrenis Dominus &  
patribus intolerabile novimus, id caelestem illum  
patrem, Dominum illum dominantium, appro-  
baturum confidamus: quem pro filiis habiturum  
putamus, in quibus est filiale & liberum nihil, ser-  
vilia omnia: pro famulis fidelibus agnitorum,  
in quibus est fidelitatis ne guttula quidem u-  
nica, alijs vestimentis & ornamentis opus est  
eis, qui intrare in regiam illam caelestem volunt,  
in quam nihil pollutum, nihil inquinatum intro-  
mittitur: filij affectum verum & sincerum ut ha-  
beat oportet, quisquis hereditatem patris caelestis,  
& cohereditatem filij eius unigeniti affectat: absq;  
hoc quicumq; accesserit, repellitur: quisquis seclam  
ingesserit, extrudetur: illo qui se praeditum ostende-  
rit genuinis ejus fructibus, amore & timore filiali,  
& notis proprijs, comitibus illorum individuis, stu-  
dio omnis boni, & fuga cujusvis mali, is cum fida-  
cia sui mediatoris, cujus verum & vivum mem-  
brum est, ad thronum gratiae accedere potest, nec re-  
pulsam unquam feret: securus de accipienda, letus  
de accepta hereditate caelesti. Hujus vera fidei ge-  
nitor ex verbo evangelij illius veteris divino uti est  
Spiritus Sanctus, ita falsa persuasionis ex novo &  
commentitio evangelio genitrix est imaginatio hu-  
mana:

C a

mana:

mana: illius fructus ut sunt genuini, sinceri, & constantes, ita huius adulterini, fictitij, & instabiles. Quisquis igitur, tanquam ex fetu parentem, deprehendit, novum illud evangelium esse matrem omnis impietatis passim in orbe Christiano regnantis, is eidem causam omnium poenarum & malorum, quibus penè submergimur, omni iure imputandam esse cognoscet. Confectum hac ratione apud intelligentes spero, quod effectum volui: utinam huius meæ ratiocinationis lumen, & vis penetraret in animos insipientium, qui timorem Dei, omnis salutaris sapientiæ fontem, in ore gerunt, in corde non habent, nec sentiunt: ita certò futurum esset, ut, relictis stultitiæ castris, tandem sapientiæ militiam ingressi constanter eandem sectarentur. Verùm illi de se viderint: nos, quod instituimus, in eo progrediemur, &, an propositum nostrum alia ratione dilucidius probare possimus, annitemur. quod dum facere aggredimur, sumemus iterum, quod piorum confessione est certissimum, sacrificium, quod à nobis in peccato perditis offerri potest, Deo gratissimum, esse cor contritum, & non minus sui agnitione interiori & exteriori dejectum, quàm notitia saluatoris nostri fiduciali ad spem certam de venia omnium erratorum & peccatorum suorum consequenda erectum: quod cum Christo sepulto peccata  
sua

sua sepulta verè credit, & cum eodem in vitam re-  
vocato se ad novam vitam revixisse novit, ejusque  
nova vita motum in omnibus suis membris, ad se-  
rium vera pietatis & justitiæ studium, sentit: quem  
fovere omni ope & conatu studet, fugiendo, quæ ei  
noxia & mortifera, sectandoq; quæ eidem sunt salu-  
taria & vitalia. hujus sacrificij oblationem quicquid  
impedit aut tollit, illud iram Dei & penas, cum  
temporarias, tum æternas, in nos provocat. impedit  
autem & tollit eam evangelium illud novum. ex  
quo consequitur, id ipsum esse causam indignationis,  
furoris, & malorum omnium divinitus nobis im-  
missorum. Dicent proculdubio, qui à nobis dissen-  
tiant, & nimis duriter communem illam vulgo à  
plerisq; probatam devotionem tractari putant, falsò  
id crimen intentari isti persuasioni, de gratia & mi-  
sericordia Dei, omnibus eam quoquo modo quaren-  
tibus exposita: siquidem, quicquid hîc est aberratio-  
nis & mali, id totum infirmitati & imbe-  
cillitati hominum esse imputandum, non ulli  
dogmati, quo homines ad cultum qualemcunque  
Dei assuescant, & in eo contineantur, quale est,  
quod mihi visum fuit appellare novum evangelium.  
Ego verò ut infirmitatem nostram esse magnam  
non nego, ita torporis quorumcunq; in ea securè in-  
dormiscentium causam statuo, partim in neglectis



veri & unici medij, per quod regeneramur: quod  
non est ulla hominum imaginatio & persuasio, sed  
verbum illud vite, per quod mortui in peccatis vivi-  
ficantur, oculi mentis illuminantur, & affectus  
cordis renovantur, qui à stupore veteris Adami &  
securitate carnali mundantur, & timore Domini  
novo imbuuntur: partim in legitima ejusdem tra-  
ctatione, quam verbo <sup>apostolus</sup> prescribit apostolus:  
qua curandum est, ut norint & velint renati qua-  
rere, non, quo modo visum sit homini stulto, sed, quo  
placet sapienti Deo, gratia in Christo promissa, ejusq;  
cōpotes facti dignè ambulare vocatione sua, tū cōmu-  
ni, tum singulari, & convenienter evangelio & do-  
ctrina, quā profitentur omnes Christiani. huic divi-  
nitus tradito organo convertendorum hominū salu-  
tari, & canoni totius vite conversorū unico dū præ-  
fertur inventum illud humanum, & regula Lesbia,  
secundum desideria quorumcunq; hominum flexibi-  
lis, ad penitentiam veram, quæ sola Deo placet,  
ipsiq; gratum est sacrificium, quisquis hac opinione  
præoccupatus est, pervenire non potest. quod enim  
compendio operis sui simulati se jam consecutos ple-  
riq; confidunt, ejus querendi & nanciscendi causa  
aliò se recipere minimè necessarium putant: & stul-  
tus merito sapientibus censeretur, qui, quod nullo  
suum dolore suo, nulla cum humiliatione sui seria  
per

per se letus obtinere posset, id agnitione sui dolorifica  
humi prostratus, fiducia alterius erectus, peteret ab  
alio: aut qui aequè se filium Dei, eiusq; heredem,  
& coheredem Christi fore certò persuasus esset, si ve  
genio suo indulgeret, & quæ grata jucundaq; carni  
sunt, faceret, si ve eum defraudaret, omniaq; eidem  
acerba & in sua via onera subiret. His autem ita  
positis & concessis, negari non posse arbitramur, e-  
vangelion illud novum & adulterinum, quod enu-  
merata illa mala parit omnia, in causa esse, quo mi-  
nus veram & genuinam pœnitentiam agant homi-  
nes, & promeritas à se pœnas declinent & evitent.  
Sed videor mihi animadvertere, lentius hæc & in-  
efficacius disputari citra historia mundi & exem-  
plorum inductionem. neq; enim in dubium amplius  
vocari posset nostra plerisq; ante hæc inaudita, de  
communissima & receptissima illa maxima inter  
Christianos partis opinione, sententia, si usu & ex-  
perientia omnium seculorum comprobaretur. id igitur  
porrò agemus, & ex omni memoria, factò initio  
à primo mundi exordio, & percurrendo U. & N.  
T. historiam, deniq; conditionem horum temporum  
& morum, cum quibus consuetamur, contemplan-  
do, indeq; demonstrando, quod omnes frenos & ha-  
benas laxat peccatis hominum committendis, quibus  
ira Dei in nos provocatur, calamitates gravissimæ  
accer-

Accersuntur & cumulantur, id esse unicè positum in  
promissionibus novi, quod ita nominamus; evange-  
lij. cum verò Deus sit non minus justus, quàm bo-  
nus, aequè iudex vivorum mortuorumq<sup>3</sup>, ac pater  
omnium conditorum hominum, qui mutari nescit,  
& seipsum abnegare non potest; eadem norma  
perpetuò utitur in misericordia & aequitate sua  
peccatoribus respicientibus declaranda, & in justi-  
tia & se veritate irrespicentibus demonstranda.  
non est igitur, quod quisquam ambigat, si persuasio  
illa falsa de Deo peccatoribus, pietatè simulantibus,  
non tamen agentibus, propitio mundum primum  
perdidit, si Judæos in V. T. externo Dei cultu con-  
fisos, interni planè immemores & negligentes, va-  
riè afflixit, & tandem perdidit, quin eadem se-  
cundū mundum & gentes omnes in N. T. ea fascina-  
tos iisdem malis inundatura & submersura sit. de si-  
milibus enim idē ferendum est iudicium: & pares  
causas, necessarias, & immediatas, in actu positas,  
pares effectus necessariò consequi solent. Quid ve-  
rò est, quod Deum ad diluvium veteri mundo  
immittendum commovit? certè peccata hominum  
plurima, eaq<sup>3</sup> atrocissima: sed quibus citra pudorē  
& metum iræ divinæ, & pœnarum, cum tempora-  
lium, tum aternarum, committendis locus non  
fuisset datus, nisi cum parasset novum istud &  
com-

commentitium evangelium, quo homines illius  
temporis se filios Dei, & ab hominum filiis distinctos  
esse persuadebant, quod externum Dei cultum habe-  
bant, qui invocatione nominis Dei comprehenditur,  
& à plerisque ore tantum peragebatur, à paucissimis  
ore & corde. hujus veneno dulci inebriatos & de-  
mentatos fuisse antediluvianos omnes, excepto Noa-  
cho, ejusque conjuge & liberis, patet ex factis illorum  
improbis, & quæ illis siue dux, siue comes erat irre-  
sponsa. Facta eorum duobus modis à Mose  
circumscribuntur: uno, in specie commemorando  
duo eorum vitia, libidinem & injustitiam. libidi-  
nem fuisse tantam refert historicorum antiquissimus,  
ut, posthabita pietate & honestate, solummodo de-  
legerint sibi conjuges, quæ formæ pulchritudine sibi  
potiores videbantur, licet planè ab ecclesiæ & veræ  
religionis consortio essent aliena: injustitiam verò in  
proximum ad eum exerevissent ait, ut impleverit terram,  
ex qua pulsum fuerit omne justitiæ studium: altero  
in genere, quod ea morum fuerit corruptio, quæ ipsam  
terram, quam incolebant, contaminavit. Externi  
interim cultus Dei non planè fuisse eos immemores  
aut negligentes, ipsum nomen filiorum Dei, quod soli  
adhuc obtinebant, exclusis ab ea dignitate filiis homi-  
num, indicat: sed quantum ille absuerit ab interno,  
quem præcipuè respicit cordium & rerum scrutator  
D Deus,

Deus, demonstrat centum viginti annorum spacium, frustra indultum ijs, qui se Spiritui Dei regendos committere nolebāt, ad agendam seriam, & minime hypocriticam, de peccatis pœnitentiam. Solus enim Noach cum suis invenit gratiam, in oculis Jehova, qui iustus & integer erat inter homines sui seculi, in omnia scelera projectissimos: quod opere ipso ostendit, inde sinenter secundum Deum ambulando, cum reliqui omnes, quantum vis in sacrificijs & conjunctis suorum peccatorum confessionibus, & Dei laudibus lingua promendis non impigri, secundum desideria oculorum & cordium incederent. Deo autem, qui non tam externum quàm internum sui cultum amat, & proinde in pauperem & contritum Spiritu oculos suæ gratiæ dirigit, eumq; solū, qui trepidat ad ejus verbum, respicit, æquè placet, qui bovem, sine vera & viva in Christum fidē, sacrificat, ac si hominem occideret, æquè probat studium mactantis agnum aut ovem, ac si decollaret canem, non magis probat, sine vera & viva in Christum fiducia, offerentem munus, quàm si sanguinem porci offerret: deniq; non minus odit adolentem, tibus absq; vera resipiscencia, ac si coleret atq; muneretur idolum. id quod per prophetam testatum facit, quando ejusmodi hominibus, qui eligunt vias suas ad mortem ducentes, neglecto vitæ itinere, à Deo monstrato, & quo-

rum

rum anima abominationibus suis delectatur, denun-  
tial, se electurum penas exquisitas vijs hominum e-  
lectis pares, & inducturum super eos, quæ formida-  
runt, sed tamen eorum formidine à malo non absti-  
nerunt. id quia primum mundi diluuiò delecti historia  
satis comprobatum arbitramur, videamus nunc, an  
huius excidio & interitu secundus factus sit sapien-  
tior. Primam autem ejus ætatem, quæ infantia af-  
simulari potest, Abrahamiq; tempora antecedit, ta-  
cité præterire cogimur, nec de secunda, quæ patriar-  
charum & iudicum fuit, adolescentiæq; deputari  
potest, quicquam memorabimus, quod de utriusque  
studijs & institutis, ad pietatem pertinentibus, pau-  
cissima exstant in sacris literis monumenta: ad ter-  
tiam, quæ fuit regum, & virilem ætate representat,  
accedemus. de qua si regium psaltem, si prophetarum  
majorum primum saltem consulamus, quàm latè tñ  
dominatum fuerit novum hoc evangelium, cogno-  
scemus. David propheta & rex, vir secundum cor  
Dei, cum tandem Nathanis concione ex securitatis  
sue carnalis somno, quo totum ferme annum oppres-  
sus jacuerat, excitatus penitentiam de adulterio &  
homicidio à se perpetrato ageret, ita Deum compella-  
bat: Sacrificium, si voluisses, dedissem utiq;: holo-  
causto non delectaris: sacrificium Deo est spiritus  
contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus

non despicias. At, dicet hic non nemo, Davidis ani-  
mi & mentis ignarus: Quomodo fieri potuit, ut sa-  
crificium non voluerit Deus, & holocausto non sit  
delectatus, quod utrumq; in sua lege praeceperat? Sa-  
nè, quo modo homines pleriq; tum offerebant, opere  
tantum externo, sine interno cordis affectu, ea no-  
luit: & hoc est, quod propheta in offerentibus repre-  
hendit: qui si nostros homines eorumq; cultum, quem  
Deo praestant, vidisset, sine dubio simile de eo judi-  
cium tulisset. quod ne videar cuiquam de meo dicere,  
ipsum audiamus. nam in ea oda, qua modò com-  
memoratae proximè antecedit, idem argumentum  
latius persequens, non modò omnia sacrificia, sine  
vera in Messiam venturum fide oblata, damnat, sed  
etiam verbi divini narrationem, & proinde etiam  
auscultationem, foederis gratia pactum impiis &  
improbis, illud sibi, quòd in cultu Dei externo essent  
assidui, cum piis & probis commune somniantibus,  
nihil profuturum affirmat. Per Esaiam verò Deus  
ipse populum suum in sacrificijs valde sedulum com-  
pellat his verbis: Quis haec requisivit è manu vestra,  
ut compareatis in conspectu meo? ut conculcetis a-  
tria mea? satur sum holocaustis arietum, & adipe  
pinguium & sanguine juvencorum, agnorumq; &  
bircorum non delector. odit anima mea novilunia  
vestra, statas ferias vestras: sunt mihi laboriosa: de-  
fessus

essus sum ferendo. Propterea expandentibus vobis  
manus vestras, occulto oculos meos à vobis: etiam,  
quum utimini multa oratione, non exaudio. hæc illo  
tempore Jehova: quid autem hodie ad nostra tem-  
pora dici poterat accommodatius? confidebant Ju-  
dæi suo externo cultu, qui positus erat in lectionibus  
sacris, exhortationibus, sacrificijs, confessionibus,  
& precibus publicis: confidimus hodie Christiani in  
nostro, qui consistit in frequentandis templis, conci-  
nendis hymnis, audiendis concionibus, peragendis  
peccatorum confessionibus, concipiendis supplicatio-  
nibus, & participanda Domini mensa: quantum  
sibi Judæi ex suo, tantundem Christiani ex nostro  
de gratia Dei & salute, nobis polliceri possumus: ni-  
mirum illi, dum se filios Dei cultu illo externo secu-  
ri somniabant, hereditate sua miseri excidebant:  
heu quàm vereor, ne idem nobis contingat, nisi indo-  
lem genuinorum Dei filiorum adepti, ad frugem me-  
liorem convertamur. Poteram, quæ commemora-  
vi, ex subsequentiæ temporum, quæ senectuti depu-  
tari queunt, historia illustrare, in quibus Judæi jam  
sua stultitiæ & impietatis penam luentes nihilomi-  
nus confidenter clamabant, Templum Domini, tem-  
plum Domini, templum Domini: ut ita magis ma-  
gisq; innotesceret, etiam divinitus calamitatibus  
percussos non potuisse de abominanda sua immundi-



tie, & quid in ea ipsos, citra veram ad Deum conversionem, securos detineret, erudiri: sed pergendum est ad tempora N. T. in transcurso tamen opera precium videtur audire, quid properantibus nobis in-clamet Jehova per Malachiam prophetarum ultimum. nam cum statim ab exordio istius vaticinii beneficia sua corporalia Judaeis Jacobi posteris praesavo, & ab eo descendentibus, singularia & eximia compendio exposuisset, qua typos esse spiritualium eisdem conjunctorum ex apostolo discimus, statim subjungit, quem pro istis honorem tanquam pater à filijs, quem timorem ipse Dominus à servis exigat: quos in cultu sacrificiorum externè præstando, sed citra amorem & timorem filialem, in quo internus præcipuè consistit, assiduos graviter increpat, & non tantum peccantibus, sed etiam eorundem custodibus & doctoribus, sui officii, ut par erat, minime satagentibus, penas pro meritis denuntiat: de quibus proluxiores esse per temporis angustiam prohibemur. veniendum nunc est ad tempora N. T. in quibus initium, quod Christo ejusq; præcursori, comitibus itidem discipulis, unà cum successoribus attribuitur, silentio prætermittimus, quod in ijs, dominante persecutionum violentia, locus non erat securitati carnali & socordia: ea sedata & pace ecclesiae restituta, cum filius perditionis in medio populi  
Dei

Dei sedere: & regnare capit, tum deniq; non solum  
fenestra, sed fores bipatentes huic novo evangelio  
aperte fuerunt, per quas ipsum intronissum adeo se-  
curos de gratia Dei, de remissione peccatorum, & de  
salute aeterna certò consequenda, fecit plerosq; omnes  
Christianos, ut si semel de die Missam audiissent,  
semel in anno panem sacrum è sacerdotis manu acce-  
pissent, ceterasq; id genus traditiones hominũ obser-  
vassent, non modò immunes & liberi ab omni pœna-  
rum temporalium & aeternarum metu essent, sed  
etiam liberrimam indulgendi suis carnalibus affecti-  
bus & desiderijs potestatem, sine periculo amittendæ  
adoptionis & hereditatis cœlestis, haberent. Hæc  
dum dico, satis superq; indicatum existimo, quibus  
primùm parentibus in Christianorum catu editus sit  
hic fetus, quibus nutricibus altus, quibus patronis de-  
fensus: ex iisdem velim conjecturam fieri, quid ma-  
li apud nos, qui ex tenebris Pontificiis singulari Dei  
beneficio liberatos esse gloriamur, & tamen ea-  
rum nonnihil, & quidem hoc ipsum, de quo loquor,  
scientes, an ignorantes & retinemus, si ve culpas, si ve  
pœnas spectemus, operetur. tritum fuit vulgi sermo-  
ne, patrum memoriã, sub exordium renascentis e-  
vangelij, ex moribus majorum desumptum, adeo ut  
in proverbium abierit: quod germanicè efferre ne-  
cessè habeo, cum latinè enunciari nequeat commodè,  
& quo-

Et quocumq; modo expressum omnem suam venerationem, qua in agnominacione vocum consistit, amittat. Eo dictum fuit, Die Evangelischen/die Eigenwillischen: quo significare volebant, eos, qui liberati fuerant a iugo potestatis Et regni Pontificij, deflexisse in contrarium: ut, cum antea servire tyranno, Papae Romano, ejusq; satellitibus non recusarint, nunc vindicati in potestatem legitimi Domini nostri Iesu Christi, eidem filialem obedientiam denegent, seq; hac ratione filios Dei genuinos Et veros Christi discipulos fore putent, si tantum veritatem religionis, a fermento Pontificio repurgata, nudo assensu amplectantur, seq; civis ecclesiae visibilis externo Dei cultu profiteantur, licet de invisibilis civium affectu interim sint sine cura. hac persuasio lethalis Et exitiosa cum ipsis, qui ea laborant, tum alijs, qui tanquam scabie unius ovis totum ovile corrumpentis, ea inficiuntur, num adhuc hareat in nobis, quorum nemo est, qui se filium Dei esse Et haberi nolit, ex actionibus Et operibus verorum Et falsorum Dei filiorum cognoscere salus est docentibus Et discantibus: ut, cum utrosque mature cognoverint, alteros nunquam non ament, alteros perpetuo oderint. In initio neminem fugere arbitror, unumquemq; nostrum duabus velut personis indutum esse: una facit, ut simus Christiani, altera,

altera, ut docentes vel discentes. Christianorum  
alij sunt re ipsa quod dicuntur, alij tantum nomine:  
hi in externa solum ecclesie societate, ut scabies,  
ulcera, verruca, macula, cicatrices in corporis su-  
perficie haerent: illi internam ejus substantiam, ve-  
lut succus & sanguis permeant, imo membra ejus-  
dem corporis viva sunt, & de capite suo Christo  
vitam, sensum, ac motum habent: ex quo fit, ut,  
quo nomine appellari volunt, ejus honorem & di-  
gnitatem tueri, seq̄. Dei filios esse vita & moribus  
testatum faciant. horum genium & indolem cum  
alteri non habeant, tamen, ut habere videantur, ge-  
stus eorundem, & motus externos in actionibus &  
operibus nonnullis representant. priores illi cum di-  
vina natura redemptoris, teste Petro, sint partici-  
pes facti, ita affecti sunt, ut ille, qui est caput eo-  
rum, licet non omnem infirmitatem deposuerint, à  
qua ipse in univ ersum semper fuit & est immunis:  
& proinde, quia se filios Dei esse ex amore & timo-  
re Dei patris vero, ex pace conscientiae, quam san-  
guine filij Dei à mortuis operibus purgatam habent,  
& ex Spiritus Sancti motibus in se ad omne bonum,  
inter quod precipuum est filialis fiducia plenum col-  
loquium per preces & gratiarum actiones, cum pa-  
tre suo caelesti, sectandum, & ad omne malum,  
etiam minimum, sedulo fugiendum incitantibus

E

& per-

Et permoventibus, cum gaudio sentiunt, nihil eorum, quae se digna noverunt, lubentes pratermittunt, nihil sua caelesti vocatione indignum volentes admittunt. quae itaque sunt partes externi Et interni cultus Deo placentis, eas obeunt, Et cum frequentandis templis, auscultandis concionibus, concinendis hymnis, concipiendis cum ecclesia catu precibus, participanda mensa Domini, se viva membra Christi, ejusque corporis mystici, quod est ecclesia, foris ostendunt, tum de omni interiori ornatu novè hominis quam maxime sunt solliciti, ut sincerum erga Deum pietatem in filiali amore Et timore, fide, spe, patientia, humilitate, Et ceteris virtutibus, exercendo justitiam, unicuique, quod suum est, tribuendo, nemini injuriam, in vita, conjugis, liberorum, opum, aut fama lesione inferendo, honestate omnium virtutum domi suis pralucendo, se tales esse omnibus testatum faciant, quales haberi Et dici volunt. quotquot sunt hujus spiritus filii, ut scriptura loquitur, de docentibus, ij suum quoque officium Et publice faciunt summo cum animi prolabio, doctrinam veram, necessariam, Et utilem assidue proponendo, examinando, illustrando, disciplinam honestam juvando, conservandoque, Et privatim juveni tui consulendo, de studiorum Et vite scopo recte constituendo, deque medijs ad eum assequendum prudenter

denter eligendis, in lectionibus siue in schola audien-  
dis, siue domi instituendis, in auditarum repetitio-  
nibus, in stili memoriaq; exercitijs, in sententia-  
rum de ijs, quæ didicerunt, collationibus: qui de  
discipulis eodem spiritu aguntur, non minus sata-  
gunt sui muneris, docentium ab ore, & ducentium  
à consilio pendendo, sapientia, eloquentia, & vir-  
tutum omnium studijs, quorum excolendorum gra-  
tia huc tanquam ad mercatum bonarum artium  
venerunt, assidæ incumbendo: ut sine suo potiti pa-  
trie sint ornamento, ecclesie & rebus pub. usui, sibi  
suisq; emolumento. Qui autem alium & contra-  
rium sequuntur ducem & ductorem, eorum institu-  
ta ut copiosè & odiosè persequar, non opus habeo,  
cum pateant oculis omnium: nec mihi propositum  
est singulorum siue errata, siue vitia, siue etiam  
flagitia insectari, qui id tantum ago, ut in veram  
& proximam causam inquiram, quæ facit, ut in  
populo Dei, voluntatis diuina gnaro, tanta sit ma-  
lorum culpa & pœna seges, quarum alteram cum se-  
rere non erubescamus, alteram metere necesse habe-  
mus. ea an imputanda sit novo, de quo diximus,  
euangelio, quisquis dubitat, id velim deniq; inecum  
breuiter repetere non grauetur, quod pluribus antea  
fuit expositum: causam omnium malorum culpa &  
pœna, quibus se Christiani obnoxios reddunt, in eo

hodie habere, in quo à mundi & ecclesia exordio fal-  
sitas, sub veri specie se inaniter credulis ostendit,  
eosq; ad perpetranda quævis flagitia impellens, à  
vera seriâq; penitentia agenda, & genuinis ejus  
fructibus proferendis ad falsam simulatamq; tradu-  
xit. hoc malum si in unica illa persuasione inani, de  
Dei misericordia in filio unigenito, tam spuris &  
adulterinis verorum Dei liberorum fraterculis,  
quàm genuinis & legitimis ejus liberis promissa,  
& ex condito semper obvia & parata, situm esse  
hactenus ostendi; quod mihi propositum fuit, con-  
feci. Deum rogo, Patrem illum omnis miseratio-  
nis, per Filium ejus unigenitum, Dominum no-  
strum Jesum Christum, ut ipse oculos mentium,  
quos carnalis securitas occlusit & obtenebravit, ape-  
rire & illuminare, corda & affectus nostros, qui  
malitiâ, arrepta ex penarum tarditate, sui propo-  
siti perficiendi commoditate, ad eò induruerunt, ut  
ne quidem flagellis ira, quorum gravitatem hacte-  
nus aliqua ex parte sentimus, & de futuro atrociora  
nobis imminere facile colligere possumus, mollescere  
queant, ipse liquefaciat, ut tandem à deceptrice ista  
persuasione, & fructibus ejus pessimis liberati, ad  
veritatem, ejusq; florem & germen Deo gratissi-  
mum, bonam frugem conversi redeamus. hujus vo-  
ti, quod assiduum est omnium verorum Christia-  
norum,

norum, solenniter iterandi, & alterius cum eo pro  
salute & felicitate Illustrissimorum, Reverendissi-  
mi, & Celsissimorum Principum ac Dominorum  
nostrorum, dn. ADOLPHI FRIDERICI,  
& dn. JOHANNIS ALBERTI, Am-  
plissimi itidem ac prudentissimi in hac urbe Senatus,  
academia Evergetarum Clementissimorum, & Pa-  
tronorum munificentissimorum, & pro totius pro-  
vincia incolumitate, conjungendi gratia, ut mecum  
in vicinum templum Jacobarum concedere non gra-  
vemini, à vobis omnibus & singulis, quotquot  
hactenus auscultando mihi operam dedistis,  
amanter & officiosè contendo.

D I X I.



E 3'

In



In  
Medicam Lethargi hujus seculi orationem,  
conscriptam & habitam.

Reverendo & clarissimo, singulari pietate  
& eruditione viro,

D. PAULO TARNOVIO,  
SS. Theologiae Doctore & Professore,

Quum Academia Rostochiana Receptorum  
Magnificum iniret, anno 1624. 23. April.

Utramvis vitij securè indormit in aurem  
Gens quæ de CHRISTI nomine nomen habes,  
Nec, licet innumerabilibus, licet undiq; summis  
Pressa malis, imò jam propè mersa malis,  
Excitit vigilans lethalem corde veterum,  
Illorumq; illam fons & origo later.  
Succurris, TARNOVII, & vellis mordicis aurem,  
Quiq; sit illorum fons & origo doces;  
Nempe suæ nimium quòd sit secura salutis,  
Lethalis vitij conscia turba sibi;  
Quòd sese fidei simulacro jactet inani,  
Quòd fidei fidat, quæ pietate caret;  
Propitiumq; Deum sibi stultè somniet esse,  
Limina quòd gressu sacra frequente terat;  
Hic sacris monitis aures quòd præbeat, hymnos  
Concinat, & solitas murmuret ore preces;  
Hic culpas nil corde dolens confessa profano  
Ore sacrum potum suscipiatq; cibum;  
Inde sibi spe mendaci cœlestia regna  
Promittant hi, quos infera regna manent:

Inde

Inde suum patrem credant, qui vindice dextrâ  
    Expedit in scelerum digna flagella reos.  
Tu facis ærumnarum hanc innotescere causam,  
    Et tua Pœoniam Suada ministrat opem.  
Quisq; doces quod erit divinâ tutus ab irâ  
    Hoc mage, securus quo minûs ejus erit.  
Sed, quia cor non tam quæ sunt semel hausta per aures  
    Afficiunt, quàm quæ lumina sæpe legunt:  
Auditos monitus etiam da posse tueri,  
    Lethargum stimulis pellere perge tuis.  
Fac quas pervasit sopor exitialis in oras  
    Huc etiam monitrix ut tua penna volet.  
Ut, vulnus quantum est, emplastrum sit quoq; tantum,  
    Et fiat morbo par medicina suo.  
Fallor? an exitio per te subtracta medelæ  
    Debebit vitam densa caterva tuæ?

*Magnifica Reverentia tuæ  
    observantis.*

S. N.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

M 2

Ex  
Bibliotheca  
Academica  
Rostochiensis







denter eligendis, in lectionibus sive in schola  
dis, sive domi instituendis, in auditorum re-  
pibus, in stili memoriaq; exercitijs, in sen-  
rum de ijs, quæ didicerunt, collationibus: quæ  
discipulis eodem spiritu aguntur, non minu-  
gunt sui muneris, docentium ab ore, & duce  
à consilio pendendo, sapientia, eloquentia, &  
tutum omnium studijs, quorum excolendoru-  
tia huc tanquam ad mercatum bonarum ar-  
venerunt, assidue incumbendo: ut sine suo pe-  
trie sint ornamento, ecclesie & rebus pub. us-  
suisq; emolumento. Qui autem alium &  
rium sequuntur ducem & ductorem, eorum  
ta ut copiose & odiosè persequar, non opus  
campateant oculis omnium: nec mihi propo-  
est singulorum sive errata, sive vitia, sive e-  
flagitia insectari, qui id tantum ago, ut in v-  
& proximam causam inquiram, quæ facit,  
populo Dei, voluntatis divine gnaro, tanta-  
lorum culpa & pœna seges, quarum alteram  
vere non erubescamus, alteram metere neces-  
mus. ea an imputanda sit novo, de quo ad  
evangelio, quisquis dubitat, id velim deniq;  
breviter repetere non gravetur, quod pluribus  
fuit expositum: causam omnium malorum ca-  
pœna, quibus se Christiani obnoxios reddu-

E 2

